

Kam 234. (1-24)

DE
**FONTIBVS SILESIACIS
ALCALINIS MEDICATIS**

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

PRO CAPESSENDO DOCTORIS HONORE

D. OCTOBRIS CICLOCCCLXXV.

PVBLINE DISSERET

IOSEPHVS GEORGIVS GREVPNER

PLESNA-SILESIUS.



**TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.**

*Non auro murrhaque bibunt, sed gurgite pure
Vita redit.*

LVCANVS.

ILLVSTRISSIMIS,

PERILLVSTRBVS, GENEROSISSIMIS,

EXCELLENTISSIMIS, AMPLIS-

SIMISQVE,

MAECENATIBVS,

PATRONIS, FAVTO-

RIBVS,

AMICISQVE

SVIS

A. 2

SPE.



S P E C I M E N
H O C A C A D E M I C V M,
TANQVAM
SVMMAE REVERENTIAE,
EXACTISSIMI OBSEQVII,
SINCERRIMAEQVE AMICITIAE
TESSERAM,
SACRAM ESSE VOLVIT
IOSEPHVS GEORGIVS GREVPNER.
PROOE-



PROOEMIVM.



In satis amplio eorum fontium medicatorum numero, quos libera-
li naturae beneficio vtraque Silesia possidet,
quorumque concinna recensio singulari quo-
dam libello academico, *de fontibus Silesiae*
vtriusque medicatis generatim inscripto, hic
nuper foras est data, non contemnendarum
virium quoque sunt fontes quidam *alcalini*,
tam *simplices*, quam *compositi*: quandoqui-



dem omnes singulique non solum eximia
aquarum suarum leuitate atque puritate sa-
lubritatis notam publice palamque p[re]fe-
ferunt, verum etiam ob immixti elementi
alcalini proprias virtutes singulari quoque
aduersus varios morbos, siue bibantur, siue
extrinsecus, balneorum in modum, corpo-
ri humano applicentur, pollent efficacitatem.
Proinde operae facturus pretium mihi vi-
deor, si hanc fontium salubrium Silesiacor-
rum classem ex utroque ordine, tam simpli-
ces, quam compositas aquas complexo, in
breuem coniiciam commentariolum, ex eo
quantulocunque descriptionum apparatu
collectum contextumque, qui vñquam meas
in manus peruenit. Quo ex opere ut sum-
mus fontium auctor in aliorum quoque ho-
minum salutem aliquid utilitatis permanare
iubeat, id mihi maxime est in
optatis.

DE



DE

AQVIS SILESIACIS SOTERIIS
ALCALINIS.

§. I.

Differendorum ordo.

Quanquam ego, letores, dum hanc dissertationem paro, nec cuiuslibet fontis naturalem sicutum adiacentisque regionis subterraneam misturam, nec elementorum, his in aquis commixtorum, mutuam proportionem, ad accurati ponderis rationes exactam, vobiscum communicare possum, dispari quippe et passim imperfecta harum rerum notitia instructus: tantum tamen eorum, quae hoc pertinent, collegi, ut saltem de cuiusvis fontis historia, natali loco, elementis, efficacitate usque, celebritate, opportunitatibusque, in aegrotantium commoda institutis, si non omnia, potiora certe a vobis non ignorentur. Inter omnes autem vtriusque Silesiae aquas medicatas haec tenus quinque tantum innotuerunt, quae alcalinorum fontium classi inseri merentur: e quibus tres ex simplicium sunt ordine, fons nimirum Peterswaldensis et Wer singauiensis, thermaeque Hirschbergensis; duo autem compositorum alcalinorum ordinem constituant, fons nempe salifer Salzae superioris (*Salzbrunnen in Obersalz*) et Schombergensis. De qui-



quibus singulis nunc commentabimur, exceptis solis thermis Hirschbergensibus: quod haec ipsae partim cum ob nominis celebritatem, tum ob efficacitatis saluberrimae excellentiam, qua plerisque ceteris praetant, singularem operam scriptoris requirere videntur; partim aliorum celeberrimorum virorum scriptis adeo luculenter sunt illustratae, ut, praeter sicutimenta quedam, nihil relictum esse existimari possit. Reliquorum autem istorum fontium paullo obscuriores memorias eo Lubentius praesenti opportunitate recolemus, quo verius de illis dici potest istud
PH A E D R I: *Iaces indigno quanta res loco!*

§. II.

Aquaæ alcalinae generatim.

Antea vero, quam per singula eamus, propositi interest, ut de ipsis breuiter disputemus characteribus, quibus ipsa natura alcalinas has aquas a reliquis fontibus medicatis distinxit. Maximam levitatem limpiditatemque non attingam: quippe quam plerisque fere aquis soteriis, velut excellentiae notam, naturae benignitas concessit. Praeter haec vero profundissime ipsis immersæ sunt particulae *salinae alcalinae* ex eo genere, quod *minera* chemicæ appellant. Quod ipsum sal naturæ, non artis, esse opus, nemo, nisi chemiae ignarissimus, nunc dubitat a.)

Quo

- a) Quam vellem igitur, celeberrimi nominis chemicum, nuper admodum humanis rebus eruptum, IO. GEORG. MODEL, inter eos, qui quocunque sal alcalinum solius artis beneficio debet contendunt, omisssus accuratissimorum alioqui lucubrationum auctor, absolutissimusque *hydrologiae soteriae* commentator, IOANNES FRIDERICVS ZVECKERT, pag. 24. libr. cit. errorem enim, prioribus curis in *Commenc. litter. Noribergens.*

Quo cum sale semper simūl coniunctam quandam *terram alcalinam* hae ipsae continent aquae, diuersa tamen proportione admixtam. Mox enim ipsum verum sal portio-
ni praeualet terreae: mox autem terra est abundantior,
interspersis tantummodo paucioribus quibusdam moleculis
salinis. Sed, vt est insignis vbique naturae vbertas, acci-
dit quoque haud raro, vt, praeter dictas alcalinas partes,
dictis huius classis fontibus portio quaedam salina media, mox
ex salis mirabilis nativitati Glauberiani, mox *ex salis communis*,
mox *ex natrof genere salis*, immixta deprehendatur. At-
que haec omnia lentissima euaporatione, quam vocant, ha-
rum aquarum facile euidenterque declarantur. Immo inter-
dum quoque *sulphurei* pauillum inhaeret: cuius generis e-
xempla, Wersingauensem fontem thermasque Hirsch-
bergenses, ex nostris habemus. Vt cunque haec sint, ta-
men, quoniam alcalinum elementum in his aquis, licet a
reliquis admixtis salibus copia interdum supereretur, tam sa-
pore, quam etuosa virtute ceteris, quae simul insunt, par-
ticulis antecellit, alcalinorum fontium cognomen non
mutarunt. Interea, discriminis gratia, posterioribus his
compositorum, prioribus vero, solo alcalino sale aut con-
genera terra foetis, *simplicium* inditum est nomen. Pro-
inde etiam vterque hic ordo, si ab examine per euapora-
tionem instituendo discesseris, sub reliquis tentaminibus
eadem offert phaenomena. Namque cum omnibus acidis,
mineralibus aequa, ac vegetabilibus, ipsoque adeo vino,
confusae hae aquae leniter fortiterue efferuescunt, bullant,

B

tan-

CCCLXXXIV. hebd. VII. commissum, dein posteriori exactiori
cura ipse clarissimus MODEL, vt erat veri amantissimus, in
Chemischen Nebenfunden pag. 151. seq. et 199. seq. ita emenda-
uit, vt nunc quidem ipse in defensi et demonstrati alcalini salis
naturalis sit primus in historia.



tandemque tenuiter lactescunt. Laetis admixti coagulum impediunt. Violarum syrupo viridem aut saltem viridescentem colorem sub commixtura inducunt: rheo autem rufescentem, si pro conficienda tintura menstrui loco habeantur. Ex ammoniacalibus salibus exturbant vrinosam portionem, quotiescumque magna elementi sui aquae parte euaporando priuatae hae aquae cum istis permiscentur. Tartari denique oleum, quod vocant, deliquio enatum easdem non turbidas reddit, nisi simplices insigni parte terrea scateant; compositae autem eadem aut communi sale simul sint imprægnatae b).

§. III.

Earundem virtutes medicæ.

Sequitur, ut quidnam virium medicarum ab horum fontium alcalinorum usu, sive potui inseruiant, sive balneorum loco habeantur, in corpore humano exspectari possit, breuiter generatimque exponam. Primo igitur, si de *simplicibus* huius generis aquis cogitaueris, considerare te oportet, in ipsis non solum primis viis, verum etiam in vniuersa humorum animalium massa, nihil aequa coercendis, absorbendis, immutansque succis acidis morbos esse idoneum, ac ipsam huiusmodi aquam alcalinam potam. Neque hac ab efficacitate parum ablutet terra alcalina, acidæ acrimoniae auidissima; quacum quippe lubenter in massam fere salinam medium abit, ob lenem, quem intestinis imprimit, stimulum promptiori per aluum euacuationi facillime obtemperantem. Dein etiam humores spissos, coactos, condensatosque a-

ni.

b) Plura hac super re subtiliter disputata conferri possunt in celeberrimi IO. FRIDER. ZWECKERT libr. cit. pag. 131. seq.

nimales, ybiunque in corpore humano haereant, incidere atque resoluere, arctamque ictum particularum oleofarum cum terreis aqueisque cohaesione imminuere videntur: vnde facile, quae ab harum aquarum potu oriri animaduertuntur, auctas diuretes, diaphoreses, aluique lubricationes aestimaueris. Atque ab eadem forte causa saepe conspicuam antispasmodicam, anodynem, relaxantemque harum aquarum virtutem deriuari oportere, haud dubitamus: quoniam ipsum quoque tenuissimum gluten, fibrillarum elementa solida connectens, attentant, ex intersticiois suis velut exsoluunt, adeoque imminuta cohaesione irritabiles fibras ad concipiendos stimulos quasi hebetiores obtusioresque reddunt. Pituitae mucosae autem tenacitatem ab alcalino horum fontium elemento non vinci, probabile constituerunt experimenta ANDREAE RVEDIGERI^{c)}: nisi forte hac super re aliquid humani passus est vir ceteroquin acutissimus. Nequaquam tamen inficiamur, magnam quoque antispasmodicae huius relaxantisque efficacitatis partem ad copiosum aqueum elementum, in quo, tanquam in gurgite vasto, alcalinae natant particulae, referri oportere. Atque eandem quoque virtutem, iisdem certe de causis, praestant hae ipsae aquae, si balneorum in modum adhibeantur. Praeter haec inertem acuunt billem, solvantque spissam. Cum pinguibus oleosisque rancore corruptis in saponaceam coeunt massam, aquae non impatientem, et percolationi aptam. Si qui denique nimiam ab harum aquarum vsu humorum resolutionem, putredini commodam, metuerent, inanis hic foret metus: partim quod alcalini elementi tanta hic deprehendi solet paucitas, quanta vix noceat; partim quod ipsi dicto huic

B 2

fali

^{c)} In *dissersat. de pituita*, Lipsiae 1510CCXVIII. edita; Cap. I. num. 18.



fali antiseptica potius, quam putredini fauens inest virtus, si quidem nuperorum quorundam Anglorum scriptorum fidem admittas. Porro vero *compositorum*, quos dixi, alcalinorum fontium duplex dos erit: quae alcalinae parti debentur, altera; altera, quae ex admixtis particulis natrosis salinis neutris aliisque aestimari debet. In tantum igitur harum posteriorum aquarum virtus resoluens, incidens, leniter irritans, viasque aluinias et vrinarias temperate expediens augebitur, in quantum horum fontium mistura diētis salibus aduentitiis abundat. Haec omnia igitur sunt, ex quibus sublatorum morborum ratio intelligi potest, aduersus quos nunc recensendi fontes Silesiaci valuisse sunt visi.

§. IV.

I. *Fontes alcalini simplices: I. Petersvvaldensis.*

Singulorum ergo horum fontium agmen ducat *Peterswaldensis*: quandoquidem ad simplicissimarum istarum leuissimarumque aquarum foteriarum, quae nupera comminatione academica ^{d)} sunt descriptae, misturam et indeolem plurimum proximeque accedit. In ducatus nimirum Suidnicensis dioecesi Reichenbacensi ab oppido cognomine, ad vnius circiter milliarii dodrantem, et ab ipsa primaria vrbe, quae ipse ducatu nomen dedit, ad alterum lapidem, distat pagus quidam satis amplus, *Peterswaldau* sive *Peterswaldau* diētus: qui priori oppido fere libanotum versus adiacet, Suidnicum vero vulturnum versus spectat. Hic, quantum competimus, simplici eademque perenni scaturigine salutaris haec profuit aqua: cuius olim satis magna fuit celebritas, nunc vero adeo exigua deprehenditur, vt

prae-

^{d)} In Proemio supra citata.

praeter nomen nihil fere supersit. Videtur autem adhuc efficacior aqua medicata olim hic ex alio scaturuisse fonte: si eorum sequamur fidem, quae hac de re ante aliquot annos publica auctoritate ad regios rerum, quas dicunt, cameralium administros sunt relata e). Quoniam autem acciderit fato, ut nobilior hic fons vitium caperet atque velut collaboretur, nescimus cum ignarissimis, iisque relinquimus explorandum, quibus ex loci vicinia ampliores dantur opportunitates. Eius autem, qui nunc Peterswaldae scaturit, fontis soteriam aquam singulari descriptis laudauit que libello f) celeberrimus quondam Suidnicensium medicus, SIGISMUNDVS HAHNIVS: quo opusculo, licet diu curioseque per omnem fere Silesiam quaesito atque efflagitato, aegre adhuc careo. Sed imminuit eius impetrandi desiderium alias quidam medicorum, apud Suidnicenses artis salutaris tam doctrina, quam exercitio spectatissimus; qui in litteris nuper ad me datis: *Quo tuo, sribit, desiderio satis faciem, attente opusculum hoc Hahnianum perligi, nequam vero, quae tuis vībus inferitura viderentur, inueni.* Quippe HAHNIVS saluberrimum adserit aquam quamlibet puram limpidamque, hinc etiam Peterswaldensem. Rationes huius salubritatis frustra hic quaeras, nec intelligas inde, sitne mineralium aquarum numero inferenda, nec ne? Neque adeo in elementa huius fontis inquisiuit. Paucis: totius ratiocinii Hahniani summa est, Peterswaldensis aquae salubritatem ex sola eiusdem constare puritate orque limpidi-
tate.

B 3

e) Haec enim ibidem exstant verba: *Es wäre zu versuchen, ob die alte gute Quelle wieder zu finden.* Item: *Ist vor diesem febr berühmt gewesen, ebe die Quelle verdorben worden.*

f) Prodiit plagulis quadripartitis Suidnici 1510CCXXXII. inscriptus:
D. SIEGMUND HAHNIS Peterswalder Gesundheitsbrunnen.



tate. Hem! quantius pretii opusculum! Sed ad manus est alius cuiusdam litteratissimi viri, medicorum quidem castra non secuti, naturae vero speculatoris dexterimi, recensio variorum examinum, quibus elementa naturamque Peterswaldensis fontis inuestigauit: ex quibus saltem tantum didici, quantum ad summum huius aquae genus intererat definiendum. Primo igitur industrios hic vir, ope statuae hydrostaticae, ad methodum GODOFREDI HENRICI BVRGHARTI, subtilissimi chemici mathematicique, et sui quondam praeceptoris, exquisite confe*ctae* g), huius fontis aquam omnibus ceteris vicinis longe leuorem, puriorem, subtilioremque deprehendit. Vnius enim vniciae sive CCCCLXXX granorum pondus, ex aurichalco fum, amisit LVI grana, postquam Peterswaldensi aquae erat immersum: in reliquis fere omnibus iactura fuit LVIII aut LIX granorum. Sub vitrea pneumaticae antliae campana infinitam haec aqua explorata vim emitis bullularum aërearum, luculenter spiritus mineralis aëreique copiosissime intermixti praesentiam testatarum. Quod autem vix credideris, in tam insigni leuitate nihilo minus haec aqua ab liquato tartari sale sub instillatione nonnihil turbari atque lactescere coepit. Sed detexit dein evaporatio leni igne peracta huius phænomeni caussam: quippe ex XXXII huius aquae vnciis, diffatis omnibus particulis mere aqueis, superfuit massa quaedam puluerulenta, coloris ex gryseo albicantis, pondus LIII granorum aequans. Quae denuo in aqua destillata simplici, sub moderato calore, tractata et ex parte soluta, dedit terrae purae alcalinae XXIII grana,

g) Confer illustris huius viri *Historisch-Physicalische und Medicinische Abhandlung von den warmen Baedern bey Land-Ecke in der Grafschaft Glaiz*; pag. 150. seq.

na, salisque alcalini xxx grana. Prior, terra nimirum, cum quibuslibet acidis effebuit; posterius autem non solum idem edidit phaenomenon, verum etiam cum violarum syruo commixtum viridi misturam tinxit colore, et ex vulgari ammoniaco sale' sub tritura vrinosam partem ex accida exturbauit vnone. Vnde apparet, huic fonti plurimum esse similitudinis cum celebratissima aqua Selterana, nequaquam vero cum thermis Helueticis piperinis: quae nonnullorum fuit coniectura h). Ceterum neminem nunc fore arbitramur, qui non intelligat, vi earum virtutum, quae ab alcalinarum aquarum vsu generatim exspectari possunt (§. III.), nostram quoque Peterswaldensem in multis magnisque morbis fore efficacem. Pota enim a vicinis ac colis in qualibet sanguinis reliquorumque humorum impuritate minimorumque vasculorum obstructionibus eximie profuisse dicitur i). Quo ergo nomine aegrotis, spasmo hypochondriaco, et ventriculi intestinorumque rheumatico, vitiis haemorrhoidum catameniorumque, articulorum rigiditate, doloribusque arthriticis nephriticisque, itemque fluore albo laborantibus, insigni erit leuamento: in primis si lacte remixta bibatur. Neque inefficax erit remedium in qualibet chronicō adfectu catarrhalī et morbis multiplicibus inde oriundis. Emendabit quoque ieterum, ex bello forte spissitudine deductum. Omnes denique singulos que adfectus, qui acidae colluviae, in primis viis collectae, debentur, verbi cussa, ventriculi ardorem, cardinalgiam, vomitum, ceterosque sufficiens, sed simul circumspctus, huius aquae potus potenter toller. Sed balnei etiam loco habita haec aqua in scabiosis scorbuticisque cutis inquinamentis aegrotantium

h) In relatione ad not. e) citar.

i) Ibidem.



tium spem haud fallet. Ad postremum in eorum solatium, quod huius salutaris fontis aqua recreari volunt, publice et ex fide integrorum virorum δ) adfirmare possumus, nihil deesse Peterswaldae commoditatum opportunitatumque, quae ad bene viuendum quomodo cunque pertinere videntur.

§. IV.

2. Fons Wersingauiensis.

Succedat alter simplicium alcalinorum fontium (§. I.), quem terra *Wersingauensis* emittit, quemque, antiquitus celebratissimum, posterorum temporum iniquitas paene ex hominum memoria deleuerat, cum eundem suis ex ruinis antiquissimae prosapiaie eques Silesius, ERNESTVS FREDERICVS de MVTSCHELNITZ, reuocaret et velut ab interitu vindicaret. Hic enim, Wersingauiae dynastes, postquam anno circiter huius seculi decimo quinto recenti fama inclarescentes Skarsinenses aquas, haud procul diffitas, sui fontis effluuiis sulphureis aequiparari non posse obseruauerat, operaे duxit pretium, patriae aquae, accuratori instituto examine, iustum honorificamque reparare aestimationem. Est autem Wersingauia (*Wersingae*) pagus, in dioecesi principatus Olsnensis Trebnitiensi ad confinia ducatus Wolaiensis, versus occasum situs; a quo Wratislavia, princeps Silesiae vrbs, ad quintum circiter lapidem distat, Olsna vero, primaria principis Würtenbergico Olsnensis sedes, ad sextum et quod excurrit. Explorandi igitur huius fontis caussa simul arcessiti sunt Wersingauiam Wratislauiensium medicorum tres, doctrinae laude

de satis celebres, MICHAEL PAVLI, CHRISTIANVS
de HELWICH, et GODOFREDVS KLAVNIGIVS,
itemque Winzigenium poliater, GEORGIVS ADAMVS
LOGAN. Hi, vt coniectura adsequi possum, quidquid
fuit examinis, primum communi opera cum litterario com-
municarunt orbe l); dein vero singulariter hoc pertracta-
uit argumentum praeditus G O D O F R E D V S K L A V-
N I G I V S m): cuius fide, quaecunque ad huius fontis hi-
storiam pertinent, primo enarrabo, ea dein additur,
quae eo ex tempore sunt mutata. Adeo autem concinna,
ad eoque intelligendis huius fontis natalibus eximie accom-
modata est *Klaunigiana descriptio* n), vt omnino, haec
legere, lectorum interesse videatur. Postquam enim hunc
fontem temporum iniuria obsoletum atque neglectum, o-
dore tamen, gustu, visu, tactuque singularis naturae char-
acteres promittentem, ab ipsis esse deprehensum, enar-
rauerat K L A V N I G I V S, haec addit: *Superuacaneum duco*
delicias, quas amoenissimus loci situs promittit, exprimere,
etiam si me minime lateat, sanitati non parum conducere sua-
ues telluris varietates, grato nemorum, collum, vallium,
pratorum, stagnorum lusu condecoratas, harumque laetager-
mnia inferre animis laetitudinem, non minus corporibus profutu-
ram. Perlustrabatur potius telluris superficies, multo pyrite
hinc inde tecta, atque eius viscera, quae fodiendo diuersa quasi
strata salientibus aquis perlucenda in apricum sisteabant. Fon-
C tem,

l) In *Missione von dem von undenklichen Tabren bekannten, nunmehr aber*
durch göttliche Schickung abermals experimentirten und zu vielen
Krankheiten heilsam befindenen Schwefel- oder Gefundbrunnen zu
Wersingau; Breslau, 1700.

m) In *Ephemerid. Acad. Caesar. natur. curios. Centur. V. Observat.*
LXIV.

n) *Ibid. pag. 108. seq.*



tem, ad radicem collis septentrionali plague expositum, cingebat terra ochrae simillima; hanc excipiebat lutum argillaceum cinerei coloris, infra argillam, ultra dimidiam ultimam bituminosum chaos, et profundius adhuc arenosum sabbulum se manifestauit. Altioris indaginis in primis bituminosum stratum iudicabatur, cum et arundinosis radicibus, quae incensae sulphureum fumum dabant, undique compactum, atque odore, colore, sapore, olibano simillimum appareret. Per has vias abundanter proficit aqua limpidissima, odorem sulphureum longe lateque spargens, sulphureo-nitrosum saporem linguae, tactui pingue glabramque mollitem communicans, et pellicula albicante, quae instar pulueris cyprii supernatat alluendoque lateribus ac lignis adhaeret, a communibus fontibus primo aspectu se distinguens. Praeterea qualitati non ubius obviae annumerandum, quod piscibus mortem inferat, prout de Spadanis annotauit HENRICVS ab HEER, vasa argentea nigerrime tingat, martem rubigine obducat, et gelu in rigidissima etiam hyeme resistat. Haec KLAU-NIGIVS. Dein in ipso examine chemico physicoque aqua haec sequentia exploratoribus obtulit phaenomena. Permista nimirum cum violarum syrupo et cum tinctura veneris cyanea, ope vinosi salis confecta, Eitnerianam vulgo vocant, viridis color est enatus. Ab inietto gallarum puluere subuiruit, a decocto vero foliorum quernorum, itemque a solutione lunae in aqua, quam fortem dicunt, et ab aquosa cinerum clauellatorum o) solutione sub commixtura flava euasit huius fontis aqua. Lautescentem vero colorem induxit adfusus mercurius sublimatus aqueo menstruo

fo-

-) Forte flauescens hic color ab admixtis incrementis cineritiis et oleosis empyreumaticis originem traxit: alioquin enim eadem hic exspectari potuerint phaenomena, quae oleum tartari deliquio paratum obtulit.

solucus. A spiritu salis ammoniaci turbida evasit aqua,
 multis ad vitri parietes propulsis bullulis aëreis. Easdem
 quoque bullas copiose et cum ebullitione excitauit adfusus
 vitrioli spiritus: quae etiam cupri laminis fonti impositis
 adhaeserunt. Nitri spiritus, fonti instillatus, longe ad
 haec plures extrusit bullulas, et, inter mutuam velut ele-
 mentorum vtriusque liquoris luctam, in coagulum abire
 est visus. Tartari porro oleum, quod a deliquio cogno-
 men habet, nubis instar superficie fontis innatauit. Insti-
 tuta denique euaporatione ex duodecim huius aquae libris
 superfuit drachma vnicula salis fusci, sapore salso amaricante
 sal istud medium, cui arcani duplicati nomen esse solet, si-
 cuti saltem visum est, aemulantis; quod candardibus inie-
 stum carbonibus liquescet. Tandem etiam spiritu mine-
 rali subtilissimo atque volatili Werlingauensem hunc abun-
 dare fontem, vel exinde declaratum est, quoniam singu-
 laris moderate sulphureus odor prope scaturiginem nares
 potenter adicit, aliorum autem transportata hac aqua pe-
 nitus evanescit. Collectis ergo atque inter se collatis o-
 mnibus singulisque his phaenomenis praelaudati isti viri,
 fonti huic, praeter spiritum sulphureum volatilem, fixum
 quoque sulphur bituminosum, ope ignis thermarum Hirsch-
 bergenium odori facile aequiparandum, et sal denique
 muriatico-vitriolicum, ad alcalina propius accedens, ines-
 se, prorsus existimarunt. Non id impraesentiarum asturi-
 sumus, vt in optimorum horum virorum sententiam, car-
 pendit pruritus excitati, contumeliose dicamus. Verum
 enim per transennam viderunt, licet pro istorum temporum
 genio in verborum delinquerent delectu, quibus rerum
 naturalium indolem exprimebant. Ex omni enim praedi-
 torum experimentorum apparatu, si chemiae emendatio-



ris dogmatibus conuenienter concludere placet, sequitur, vt huic fonti solum elementum alcalinum salinum, cum par-
cissima forte terra congenere, et ad haec parciori portione sulphurea coniunctum, spiritusque mineralis volatilis acce-
sione velut exacutum, insit p). Ceterum, ante exposi-
torum tentaminum rationes circumspiciens, temperare mi-
hi non possum, quin ab iis dissentiam, qui in iam exci-
tata relatione q) hunc fontem, praeter alias particulas
alcalinas, itemque sulphureas, vitriolico quoque et mar-
tiali elemento impraeognatum adfirmarunt. Concedimus et-
iam iisdem lubenter, hanc aquam nihil sulphurei prodere
saporis, licet odor idem promittat. Hirschbergensisbus
thermis omnino aequiparari potest hic fons, nequaquam
vero, vt existimatus est r), thermis Aquisgranensisbus et
acidulis Alsaticis Griesbacensisbus: quandoquidem priores
fontium sulphureorum, posteriores autem alcalino - mar-
tialium classi subsunt. Virtutes medicae denique haud pro-
fecto aliae sunt animaduersae, ac ab eiusmodi aquarum al-
calinarum vsu exspectari possunt. *Nec defuit haec tenuis,*
inquit iam honoris causa nominatus KLAVNIGIVS f),
his principiis adaequatus effectus: legitime enim admini-
strata potando et balneando cura vires corroborandi, ab-
stergendi, incidendi, euacuandi, resoluendi, humectandi,
diluendi, experientia notas fecit in morbis, similem methodum
requirentibus; intellige adfectus paralyticos, hypochon-
driacos, hystericos, nephriticos, febres intermitentes, ca-
tar-

p) Consentit quodammodo celeberrimus IO. FRIDR. ZVECKERT
libr. cit. pag. 43.

q) Confer not. e). §. IV.

r) Ibidem.

f) In libr. citat. pag. 110.

tarrhos, colicas, chlorosin, scorbutum, scabiem, ulceram, topbos, et cetera. Quorum morborum numero alii t^{a}) quaslibet cutis impuritates, apoplexias, oculorumque et aurium affectiones, ab impura serosa colluvie oriundas, doloresque arthriticos addiderunt. Haud inopportune quoque ad potum lacte vinoque misceri potest, prout medici indicationibus conuenientissimum videtur. Superest, ut moneamus lectores, hodie Wersingauiam commodis habitandi locis, aegrotantium opportunitati aptis, destituti: quibus tamen, ut videtur, eandem olim instruxerat ingenuus huius fontis, quem supra laudauimus, restaurator. Quarum ruinarum caufsa ad maiorem vicinorum fontium, Skarsinensis et Gimmelensis, frequentationem defterri solet u).

§. VI.

II. Fontes alcalini compositi. I. Salsula.

Ex compositorum fontium alcalinorum genere (§ II.), quos in finu fouet suo Silesia, duo tantum sunt; quorum vterque in solo ducatu Suidnicensi, soteriarum aquarum praeceteris feracissimo x), suos natus est natales. Hic enim, si septem circiter milliariorum interuallum constitutas, nouem diuersae classis ordinisque fontes finibus suis se contingunt. In dioecesi in primis Suidnicensi montanus

C 3

ille

^{a)} Confer not. e).

^{a)} Ibidem referuntur sequentia: Dieser Brunnen ist laengst außer Frequenz gekommen, weil im Herrnstaedtischen die Quelle zu Gimmel beser ist, und die Skarsiner Breslau naeher liegt. Anstalten sind dagewesen, allein wegen Mangel an Brunnengaezen nicht mehr.

^{a)} Confer Prooemium differr. de fontibus Silesiae viriusque medicatis generatim.



ille tractus, plurimis amoenissimis vallibus limpidissimisque riuulis distinctus, qui ab antiquissima ista arce, cui *Fürstensteinio* nomen est, versus montem, *Hochberg* sive *Hochwald* exporrigitur, intra vnius lapidis spatium quinque soterios fontes amplexu suo comprehendit. Orientem enim versus bini scaturiunt *Veteraquenses*; quorum nostra aetate magna est celebritas frequentissimusque usus: versus occasum vero in protractiori quodam pago, ob amplitudinem in superiore, medium, inferioreque partem diviso, sunt tres diuersorum elementorum fontes soterii; e quibus forte is ipse *fons salis*, ceteris, ut videtur, iam maiorum nostrorum tempore notior, cuius nunc descriptionem meditamus, natali suo loco cognomen dedit. Hunc enim pagum incolae *Salzbrunnen* appellant y): in cuius superiori parte (*Ober-Salzbrunnen*) fontis nostri deprehenditur scaturigo. Est haec ipsa aqua *CASPARI SCHWENKFELTII*, viri de Silesiae sue rebus naturalibus immortaliter meriti, *Salisula*: quam nos simplici fontis *salis* nomine (§. I. II.) a vicinis reliquis distinximus. Ut intelligent autem statim letores, quinam fontis nostri nunc ante duo circiter secula fuerit status, et quaenam existimatio, ipsa *Schwenkfeltiana* verba hoc loco adiicere lubet. Hic enim: *Salisula*, scribit z), ein *Salzbrunnen*. Paruo mil-

y) Emendandus ergo est error quidam, nescio quo fato, a nobis supra (§. I. II.) et in dissertationis paullo ante not. x) allegatae prooemio, ad numer. 8. et 16. commissus. Loco nominis enim *Salzae superioris* (*Obersalz*) vbius legi oportet nomen, *Obersalzbrunnen*. Quo posteriori loco quoque addendus est numerus 17. Fons soterius, (*Heilbrunnen in Obersalzbrunnen*).

x) In rarissimum opaculo, quod *Stirpium et fossilium Silesiae catalogus* inscribitur pag. 390. edit. Lipsiens; cloaci.

millari a) ab arce antiqua et celebri Fürstenstein, sub monte,
qui vulgo der Hochberg nominatur, in pago zum Salzbrunnen
ad ripam torrentis arenoso solo emanat aqua pura, clara,
limpida, quae ob praedominantem salinam der Salzbrunnen nuncupata fuit. Cingitur muro quadrato, in cuius
medio, dolio in terram defosso, fons includitur. Super-
suntne etiamnum, tutandi fontis caussa, haec sepimenta,
nec ne? ignoro quidem: conseruata tamen eadem esse,
exinde coniicio, quoniam nostris quoque temporibus haud
aliter, ac ante ducentos annos, ob saporis gratiam a vici-
nis agricolis, dum inter mesles in primis caeli solisque va-
por magnus esse solet, fons noster ad consuetum quotidiana-
numque potum desideratur, immo etiam haud infrequen-
ter Suidnicum transfertur b). Verum enim vero ut liqui-
do etiam constet, quibusdam potissimum Salsulæ nostræ
elementis excellens ista efficacitas, frequenti nunc et olim
comprobata experientia, in acceptis referri debeat, audia-
mus primo optimum nostrum SCHWENKFELTIVM, super his
pro ea, quæ tunc temporis erat, chemica doctrina haud
adeo inepte differentem. Sic enim ille c): Sulphuris exi-
gui est particeps: ochrae etiam ferruginosæ, aluminis, ma-
xime salis materiam habet. Ochra rubra ferruginei colo-
ris ad latera et canalem adhaeret: insuper sulphureum quid-
dam aut oleagineum, telœ araneæ simile, coloris variis inma-
tata. Odoratui grauem fumum ex sulphure obiicit. Sal co-
piosum permixto alumine ex decoctione deprehenditur. Sa-
por

a) Qui enim NICOLAO HENELIO, ad quintum lapidem Salsulam
ab arce Fürstenstein remotam, in Silesiographiae renouatae Cap.
V. §. 46. affirmanti confidunt; in errorem inducuntur.

b) Referentibus CASP. SCHWENKFELT et iis, quos not e) cita-
uimus.

c) Loc. citar.



por ei salsus, aliquantulum adstringens. Admodum incru-
rioſe atque negligenter haec repetit NICOLAVS HENE-
LIVS ^{d)}, ſolius quippe ſulphuris exigui et ochrae ferruginoſae inter noſtri fontis elementa iniiciens mentionem.
Sed recentiorum quorundam medicorum ^{e)} repetita ex-
amina priores iſtos errores emendarunt. Dispulſa enim per
euaporationem omni aqua ex libris tribus ſuperfuit terrae
cuiusdam falinae ſemidrachma aut, ex alijs fide, idem pon-
dus cum ſex granis. Haec maſſa cum omnibus acidis ef-
ferbuit, ſimulque ab iſtillato vitrioli acido paucos quoſ-
dam vapores albicantes, naribus admodum moleſtos, emi-
ſit. Ab oleo tartari per deliquium parato parum turbari
coepit et lactescere iſpa pura fontis aqua. Ad dimidiā
circiter partem expulſo aqueo elemento, violarum fyru-
puſ cum hac aqua confuſus viruit eleganter. Residua
denique iſta maſſa circumſpecte elixa dedit ſalis alcalini pu-
ri XXI grana, ſalis communis grana ſex, et terrae muria-
ticas ſive natroſae grana nouem. Sulphureus odor mox,
poſtequam hausta eſt aqua, euaneſcit. Martialis terrae
ne veſtigium quidem potuit obſeruari. Hinc ergo apparet,
magnam Salsulae noſtræ cum Selteranis aquis eſſe conve-
nientiam, niſi quod ante diſtorum elementorum propor-
tionē noſtrā iſtae nonnihil antecellunt. Haud igitur diſ-
ſicile eſt intellectu, quibusnam morbis Salsula noſtra com-
mode atque fructuofe opponi poſſit. Quibus vero delendis
tollendisque iam pridem ſaluberrima ſua efficacitate inſer-
uiit,

^{d)} In *Silesiograph. allegat.* loc. cit.

^{e)} Ad manus enim ſunt partim eorum inedicorum, quos ſupra not. ^{e)}
allegamus, partim viri quondam celeberrimi, CHRISTOPHO-
RI CAROLI STRVMFFFII, examina; qui posterior forte
in itinere, per Sileſiam anno CIOCCXLVIII. circiter facta, Salfu-
lam hanc explorauit.

uiit, breuiter exponemus. Sitim, inquit SCHWENK-
FELTIVS f), restinguat, appetitum excitat, ventriculum
laxum roborat et a prauis humoribus liberat, sine abdominis
seu intestinorum inflatione. Siccat, aperit, abstergit, con-
sumit, roborat, ventriculo relaxato et pituita referto sub-
uenit. Cruditates emendat, concoctionem promouet, et
meseraicas venas reserat. Renum, vesicae obſtructiones tol-
lit; diureticus est, calculos pellit. Ventris dolores et tormi-
na, vt colicam, potu aufert. Ferunt hydropicos, tabidos et
cacheticos eius frequenti uſu fuſſe priſinae sanitati reſtitutor. Adde his, recentiorum medicorum obſeruatis g) virtutem
quoque huius fontis eximiam in variis pectoris affectibus,
praeſertim ſi lacte remiſceatur, porro in cephalaea et he-
micrania chronica, variis exanthematibus chronicis, hy-
pochondriaco hystericoque malo, itemque cardialgia fla-
tulenta, aliisque ſaepe numero eſſe conſirmatam. Quin
etiam accolae, experientia docti, vaccas frequenter ad
Salsulae ſaturiginem aquatum agunt: quippe inſigne la-
tis hoc a potu animaduertunt augmentum. Commodi-
tatem aegrotis necessiarum, ad Salsulae noſtræ fontem,
defectum, locupletiori omnium opportunitatum appara-
tu reſarcient acidulæ Veteraquenses, vix quarta vnius
milliarii parte hinc remotæ.

§. VII.

2. Fons Schombergensis.

Tertio autem lapide a praedicta Salsula, africum
versus, diſtat Schombergium, quod eſt dioeceseos Bolken-

D hanio-

f) Libr. cit.

g) In relationibus paullo ante excitatis.



hanio - Landeshutensis, Suidnicensi ducatui subiectae, in
 Bohemiae confiniis oppidum. Atque hic quoque in priua-
 ti cuiusdam cuius fundo fontis cuiusdam soterii scaturigo de-
 prehenditur; de quo ceteroquin admodum pauca mihi in-
 notuisse, omni licet data opera, maxime doleo. Nisi e-
 nim et hic viri quandam meritissimi, C H R I S T O P H O R I
 C A R O L I S T R U M P F F I I, industria mihi subuenisset,
 non haberem profecto quidquam, definiendis huius aquae
 medicatae elementis inseruiturum. Quis enim ferat hoc pu-
 blicae relationis h) effatum: *Inest plus nitri, quam sulphuris?*
 S T R U M P F F I V autem, iisdem, quae paullo ante (§. VI.)
 exposuimus, examinibus et hic vsus, ex eadem huius a-
 quae copia obtinuit salis alcalini puri grana viginti quinque,
 communis salis, itemque natrofae terrae, vtriusque gra-
 na octo, et molecularum martialium vix unicum granum.
 Proinde, si vires medicas spectes, ad Salsulæ efficacitatem
 plurimum accedet. Quam exspectationem confirmarunt
 quoque varii salutares effectus, quos, ex dictarum publi-
 carum relationum fide, aegroti, ex vicinis locis huc con-
 fluentes, tam a pota aqua, quam a balnei frigidî loco ha-
 bita, sunt experti. Partim enim in scabiosis, serpiginosis,
 scorbuticisque exanthematibus, partim in paralysi, tabe
 et aridura artuum, doloribusque arthriticis huius soterii
 fontis vsus operae fecisse pretium est visus. Balnearia o-
 lim hic adfuerunt, nuperi belliniuriis nunc collapsa atque
 ruinosa. Spes autem est, sicuti antea saepius excitatae
 publicae relationes i) adfirmarunt, fore, ut eorundem re-
 parandorum curam in se suscipiat prouidus et de re pu-
 blica bene merens oppidi magistratus: quo singuli aegri,
hic

b) In nos e) ad §. IV. citat.

i) Ibidem.



hic quoque vitae necessitudinum opportunitatumque non
inopes, laetissimi, reparata valetudine possint

Errare per lucos, amoena

Quos et aquae subeunt, et aurae.

HORATIVS.





* * *


O P T I M O G R E V P N E R O
P R A E S E S.

Dulce et decorum est, pro patria loqui!
Corona deerit nec **TIBI** ciuica,
G R E V P N E R E, ciui qui tuendo
Fonticulos retegis salubres.



UD 18

PICA



DE
FONTIBVS SILESIACIS
ALCALINIS MEDICATIS

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. T.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR.
FVRT. SCIENT. VTL. ITEM
SCRVTATOR. ET DVCAL. TE
MEDICI HO

PRO CAPESSENDO

D. OCTO

PUBLI

IOSEPHVS GE

PLES



TRAIECT
E TYPOGRAPH

